Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32269
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

146

ses. iussit eos in carcerem mitti. Dum ista dicuntur, et alia referuntur: ecce sancta Fusca. cum tamen ipse sponte erat coronata una cum parentibus et Maura famula sua ad sedem prevenit. Preses vero ad servum dixit. Ut quid filiam tuam christianis legibus subdidisti. Servus respondit. Pro salute tua iam multos dies laboravi, et non potui eam ab hac stulticia revocare. Cognosci eam a christianis esse deceptam, qui dicunt deos nostros lapides et ligna esse. Conversus preses ad beatam Fuscam dixit. Quomodo vocaris. Sancta Fusca respondit. Fusca. Preses dixit. Quem deum colis. Fusca respondit. Christum deum. Preses dixit. Tu illum Christum dicis quem iudei crucifixerunt. Per magnos deos Accaron et Ionem si non recedis ab hac amentia, et non sacrificas diis, morte morieris, et non vives. Sancta Fusca respondit. Ego parata sum pro domino meo Ihesu Christo magis mori quam vanis et ydolis tuis sacrificare. Scriptum est. Confundantur omnes qui adorant sculptilia qui gloriantur in simulacris suis. Preses dixit. Recede ab hac stulticia et sacrifica diis, quod si nolueris, per deum Accaron male te finiam. Maura respondit. Iam tibi dixi. melius est mori michi quam demones adorare. Preses dixit. Fusca filia servi quare non conples iussionem meam. Per deos magnos morte morieris tu et nutrix tua Maura. quia christiana est sicut et tu. Denega Christum et adora deos patris tui. Quod si nolueris verba haudire: dabo carnes vestras canibus et volatilibus celi. Maura spiritu sancto repleta dixit. Tortores tui et mine tue nulle sunt. quia sponsa Christi sum. et pro ipso mori desidero qui me illuminavit, ut appropiem ei casto corde: qui dicit appropinquate ad illud. quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod preparavit deus hiis qui eum toto corde diligunt. Audiens Quintianus verba hec. iussit eas flagellari. Cumque flagellarentur. noluit eam gladio ferire. Videns autem pater eius servus. procidit ad pedes eius dicens. Domine preses iube per duos dies dari nobis inducias, si forte convertat se ad deos. quia unica est matris sue. Preses dixit. Et ego desiderabam ut non periret. Sed superbia eius et vanitas nescio cuius Ihesu Christi vivere eam non permittit. Maura respondit. Vanitatem vos adoratis qui verum deum derelinquitis. et effigies que sunt sine voce et sine auditu dicitis deos nostros esse. et ligno dicitis adiuva me. Preses dixit. Multum me commoves. sed adhuc tue misereor infantie. Maura dixit. Miseretur mei dominus. Nam qualis est misericordia tua malediccione? Iratus Quintianus iussit eam mitti in carcerem dicens. Per deos magnos. ambas eas gladio ferire percipiam. Maura respondit. Deo gratias. et hoc semper optabam. Et venientes ministri mittentes catenam in colla earum miserunt eas in carcerem. Alio die preses sedens pro tribunali vocavit spiculatorem et dixit ei. Educ superbas illas de carcere, et adduc in terras alienas, et extra civitatem sententiam accipiant capitalem. Et veniens spiculator eduxit eas de carcere, et egressi autem urbe. Cum autem duceret eas ad mortem, plorabat omnis multitudo mulierum. At illa orabat dominum dicens. Domine Ihesu Christe, in manus tuas commendo spiritum meum. Et facta est vox ad eam dicens. Noli timere Fusca. Fidem servasti. cursum consummasti. veni ad regnum. suscipient te angeli. Tunc sancta Fusca dixit ad spiculatorem: Veni fili fac quod tibi imperatum est. Et spiculator statim lancea latus eius perforavit. et tali martirio dormivit in pace. Sancta vero Maura nutrix eius tenens corpus eius rogavit spiculatorem ut eam interficeret. Quod et completum est. et eis sicut fuit una vita. ita et in morte una concessa est gloria. Corpora vero earum proiecerunt in mare, et perducta sunt in neapolitanam provinciam. in civitatem que dicitur Sabrata, et condita dignissime incepta. Transactis autem multorum circulis annorum occupata est regio illa a paganis. et ipsa civitas Sabrata redacta est in solitudinem usque in hodiernum diem. Passa est autem beata virgo Fusca et nutrix eius Maura. idus febr. in super dicta civitate

Passio sancti Valentini episcopi et martyris.

C
xvi. K. marc.

PROPHETA Loquitur ad dominum. Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. Inpari multiplicatione illi specialiter ad dominum pertinent qui vitam suam noverunt castigare ita ut corpus etiam Christi fiat. Urbis interamnensis episcopus sanctus Valentinus bene vivendo meruit virtutibus adherere. que virtutes laterem hominem omni mundo celebrem animis tradiderunt. Igitur athenienses nobiles nati. Proculus et Efebus et Apollonius scholastici viri. cum apud grecos latina studia desudassent. apud Cratonem quendam summum oratorem utriusque lingue in urbe roma hospitabantur. Factum est autem ut unicus Cratonis